


HISTOIRE
DE
MOÏSE.

Par M. de
Lamoignon.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS CASUM 14
DE
CARIE OSSIUM
CUM
EPICRISI SUBJUNCTA

QUAM
SUB AUSPICIO DIVINO
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
CONSENSU

PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
DAVIDES PERRELET
NEOCOMENSIS

D. XVI. JULII MDCCLXX.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Ex Officina JOHANNIS HENRICI HEITZII Universitatis Typogr.




PATRI OPTIMO

SACRUM ESSE VOLUIT

FILIUS

DAVIDES PERRELET.





HISTORIA MORBI.



Matrona quædam sexaginta circiter annos
nata, quorum quadraginta quatuor in
natali suo loco Surinam, reliquos in
Helvetia vixit, mense Augusto a. 1768.
in femore dextro incepit dolere, dolore rheumatico,
unde partis affectæ evidens debilitas, totiusque corpo-
ris macies. Frustra per tres integras septimanas partem

A 2

fovebant decocto Florum Sambuci cum lacte, addito sa-
pone; tunc ut copiosior excitetur *transpiratio*, panes
applicuere calidos, unde dolorum orta est *diminutio*.

Integro dolorum initio mense, tribus a panis usu
diebus effluxis, ambulare conabatur ægrota; insitens er-
go pedi dextro & baculo, quo uti sua eam cogebat de-
bilitas, subito femur suum sub corporis pondere flecti
sentiebat, & humi procumbens acutos & tenivos exper-
ta est dolores; hinc de femoris fractura metuens accersit
patrem meum, qui eam rite examinando femur tribus
scilicet pollicibus infra magnum trochanterem fractum
invenit, quod statim juxta regulas artis restituit.

Per plures septimanas nihil periculi videbatur; de-
bilis rarusque femoris dolor promptæ curationis spem
faciebat; cum ecce humerus brachiumque sinistrum do-
lere incipiunt; hoc adeo non terruit Chirurghum, ut
potius sibi gratulari inceperit; id enim eo magis de do-
lore rheumatico certum faciebat, quem lætus a parte
læsa recedere videbat, nihil sinistri per tres septimanas
accidebat; post, dum prehensa sub brachiis ægra erige-
batur, ad humerum dextrum audiebatur sonitus non ab-
similis illi, quem baculus siccus, dum frangitur, edit.
Hanc partem iterum examinavit meus pater, & exostosis
in media clavicula dextra eamque transversim factam vi-
dit, ita tamen, ut partium extrema rite sibi applicata

manerent; quibus in hoc situ retinendis allaborabat & exostosi applicabat Emplastrum Vigonis, cui Mercurii subquadruplum addebat; ossa in situ debito remanebant, crescebat autem exostosis, quæ haud fecus ac anevrysmata tangentem digitum leviter pulsabat.

Elapsis novem septimanis, quæ ad calli in fracturis formationem plusquam sufficiebant; apparatus incommoda minuenda judicavit pater. Incertus tamen de fracturæ causa, femori applicabat ferulas chartaceas, quas fascia debita firmabat.

Ægrotum femur cum femore sano ejusdem longitudinis videbatur; sed post octo aut decem dies jam sensibiliber brevius apparuit, & satis intense doluit hac in parte denuo examinata nihil nisi tumorem oedematofum, & in ipso fracturæ loco duriusculum invenire potuit. Brevi post increvere dolores acuti, febris, motus convulsivus, unde evidens fracturæ ossis partium ex suo situ recessus.

DN. VACHER, Medicinæ Licentiatus, Nosocomii regii Bisuntini Chirurgus primarius, Vir dexterrimus, ad eundem ægrotum vocatus, & meus pater novam reductionem instituebant, sed non nisi lente & gradatim, ne subita nimis induceretur mutatio; ad hunc finem & ut ossis fragmenta in situ manerent, utebantur machina a patre meo inventa, huic casui appropriata.

Fracto femori per tres dies iterum restituta est naturalis longitudo; quo facto dolor, febris, convulsio disparuere; decoctis interim resolutivis & tonicis affectam partem fovebant, ipsisque ratum erat, femur laesum per integras duodecim septimanas in eadem servare extensione, ut callus eo melius, ægrota eo certius optatam acquirere possit sanitatem.

Interim Cl. PETITI & MORANDI, Celeberr. Parisiis Chirurgorum petiere consilium. Ægrota nostra nata erat Surinam in portu maris, & ibidem ad quadagesimum quartum suæ ætatis annum vixit, unde virus scorbutici suspicio, cui destruendo Cl. NEUHAUS M. D. & Pater meus Succum Nasturtii aquatici, Mala aurantia Citrea præscribebant, & ut melius indicationi suæ satisfacerent, exhibebant Serum lactis ab herbis antiscorbuticis abstractum, diætam alimentarem suppeditabant farinosa & mucilaginea, quæ callo formando maxime appropriata crediderunt. Tunc per partem brachii posticam ad manum usque dolor fortius sævire, & liberum digitorum motum impedire.

Ita se res habebat, cum Cl. PETITI & MORANDI consilium receperunt; qui Egregii Viri veneno scorbutico id malum non sine ratione adscribi, imo aliquid Venerei in hac ægra latere judicarunt. Lues enim Venerea

inter hereditarios morbos jure refertur, eamque vel a nutrice, vel a marito accepisse potuit ægrotæ; hinc remediis antiscorbuticis inutiliter forte adhibitis ad antivenerea confugiendum consuluerunt, quæ ultima non fuerunt in usum ducta; nam per totam vitam ægrotæ nullus ipsi nec dubitandi quidem de lue venerea locus erat, ne minimum unquam hujus morbi symptomata apparuit. Sola propinabant antiscorbutica; lactis scilicet Serumi a Plantis antiscorbuticis ope balnei arenæ abstractum, & gelatinam ex C. C. ex vituli carne & succo dictarum plantarum antiscorbuticarum paratum. Sed quid inde? Dolores humeri & brachii augebantur, tanta oriebatur febris, pulsus tensio, durities & cutis siccitas, ut per quatuor dies interrumpendus esset horum antiscorbuticorum usus; quo tempore remittebant dolores, & adhibitis iterum antiscorbuticis, eadem iterum redierunt symptomata, ut a cura antiscorbutica penitus desistere coegerint medentes. Hinc due vel tria Seria Lactis ad modum HOFFMANNI parati pocula per diem præscripsit Medicus, & iurgens in brachio & in humero dolor ut tolleretur, apposuit pater cataplasma ex mica panis, lacte & seminibus hyoscyami paratum; unde cutis evasit mollior, orta est copiosior transpiratio & dolorum imminutio.

Paulo post affligebatur ægrotæ catarrho, qui eo usque tandem increvit, ut per aliquot horas catarrhi sus-

ſocativi characterem præ ſe tulerit, qui ſi diutius duraffet, ægrotam e medio tuliffet, cui diſſipando liquor anodinus mineralis HOFFMANNI cum ſorum Camomillæ Romanæ infuſione theiformi haud parum tribuiſſe videtur. Elapſis autem octo vel decem diebus denuo redibat lenis catarrhus cum cordis palpitatione, quæ non niſi cum vita finivit; minus tamen verſus vitæ terminum quam antea torquebat ægrotam. Hunc catarrhum ac pectoris oppreſſionem humorum metaſtaſi jure tribuimus; in ea enim ratione minuebatur in brachio dolor, quo pectus afficiebatur.

Vigeſima tertia Aprilis anni 1769, id eſt ſeptem poſt fracturam menſes, aucta eſt ægrotæ debilitas eo uſque, ut vigeſima quinta ejusdem menſis neminem amplius cognoſcere videretur, nec loqui, nec cibos aſſumere, nec brachium ſiniſtrum vix & crus ejusdem lateris ne minime quidem movere potuiſſet. Soli brachio dextro ſupererat motus libertas.

Ita ſefe per aliquot tempus habuit, vix quibusdam hinc inde momentis ſanæ mentis ſigna dedit. Alvus ipſi erat conſtipata, urinam non niſi catheteris ope emittebat; tandem octavo Maji vitam cum morte mutavit.

Per totum morbi decurſum pulſus ipſi ſatis plenus erat & tenſus; verſus vitæ finem & duobus ultimis menſibus


sibus, irregularis quandoque & intermittens, urina plerumque clara & limpida; raro in illa & non nisi ante sudores videre erat sedimentum; nec febris vi urinæ color respondebat; ante hunc morbum ipsi erat continua transpiratio facilisque sudor.

Aperto cadavere femur a trochantere magno ad suam medietatem usque cariosum invenit parens meus, inferior ejusdem ossis pars pollicis longitudinem carie destructam exhibuit; ita ut in tres inæquales portiones femur esset divisum. Quod his portionibus intercedebat spatium, repletum erat fragmentis, quæ licet minuta, vix tamen friabilia quamdam adhuc firmitatem & consistentiam retinebant, nec in illis nigri quid aut flavicantis purulenti, aut saniosi videre erat, sed in substantia carnosa nidulabantur. Quod medium divisi femoris ambiverat periosteum, nonnisi posteriori ossis parti adhærescebat.

Exostosis Claviculæ ex lamellis a sese remotis constabat; in exostosis loco levi tactu illud os frangebatur cariosum intus & fragmentis plenum. Quæ in ossis superficie reperire & ejus substantiam penetrare solent vasa sanguinea, sanguine turgabant, tam in clavicula, quam in femore carioso; unde loco cœrulei, qui ossibus sanis proprius est, colore rubicundo gaudebant; nihil in

brachio, nihil in omoplata præternaturalis apparebat, quamvis acutissimis doloribus torqueretur ægrota.

Observatio hæc, L. B. rarioris alicujus peculiarisque characteris morbi exemplum tibi exhibet. Chirurgorum Parisiensem Celeberr. attentionem occupavit, a quibus auxilia sunt petita. Digna foret, si quæ alia, cum quadam dignitate tractari. Opportunus mihi ergo præberetur locus rerum, quas in Alma hac Universitate sum edoctus tributum cum honore pendendi. Instantes vero circumstantiæ, quibus in patriam revocor, labori meo limites imposuerunt, cum nullas præterea haberem veritates novas annunciandas; malui idcirco gloriam, quæ in componendo fuisset systemate negligere, quam casus hujus, quem sincere retuli, simplicitatem fictionibus meis depravare. Ut parvulum igitur meum opus benigne accipias L. B. enixe rogo.



E P I C R I S I S.

Ossa etsi dura sint & compacta materies, non differunt tamen natura sua ab aliis humani corporis partibus; uti & hæ in principio molles a) primariæ indolis semper

a) HALLER *Mem. sur la formation des Os.*

aliquid retinent, partiunturque cum eis mutationes, quæ illis perpetuo impendent.

Simili humorum congerie elevantur perinde in varios tumores; ab eadem sæpe acrimonia appetuntur, inflammantur, destruuntur; solvuntur etiam & secedunt aliquando vel propria infirmitate vel alieno robore victa.

Hisce potius laceffuntur vitiis ossa, hæcce quoque in historia morbi nostri occurrunt. Inter notas, a quibus potuerunt produci, causas, Scorbutum tantum innumerabo, Luemque veneream; alias tanquam ab ipso facto exclusas neglecturus.

Scorbutum regionum Aquilonarium natalem esse incolam, olim recipiebatur *b*). Notatum est præterea, eos ab illo præsertim appeti, qui, suam in vicinia maris vitam degentes, aërem spirant a fermentescibilibus quæ fluctuans mare continue deponit putidum *c*). Aggreditur quoque illos Scorbutum, qui cursu longinquo vel pariori fortuna ab usu Vegetabilium diutius removen-
tur, carnibusque salitis, aquis impuris, paneque bis co-
cto vivere sunt coacti *d*). Hos iterum fatis vulgo adori-

b) BOERHAAVE §. 1148.

c) VAN SWIETEN Tom. III. p. 2.

d) OLAUS MAGNUS *Hist. de Gensib. Sept.* Lib. 16. cap. 51. pag. 576.
BAGNI DI PISA 253. in notis.

e) VAN SWIET. pag. 596.

tur morbus, quorum vita otiosior & sedentaria, vel commoratio in locis humidis & vaporibus opertis stagnationi humorum favent, huncque statum creant spissitudinis, quem peculiaris acrimonia comitatur e); hæc humorum vitia Scorbutum constituere dicuntur f).

Sese prodit universa corporis inertia, intumescunt, suppuracionemque patiuntur gingivæ, apparent in cute maculæ fuscæ, nigræ, lividæ, intumescunt crura, anhelatur spiritus, prodeunt ulcera, exostoses, ossiumque caries; sentiuntur vagi dolores, nascuntur pluris generis hæmorrhagiæ g).

Inter hæc symptomata, præter dolores vagos, exostoses ossiumque caries alia non sensit ægrota nostra. Sufficiuntne ut Scorbuto tanquam unicæ causæ omnis tribuatur morbus? non apparet. Ad multas alias equidem causas referri valent, & cum signo nullo pathognomonico adjuventur, quod Scorbutum invicte testetur, Scorbutum veram hujus morbi causam non declarant h). Porro rariores sunt in Scorbuto exostoses, potiusque in ossibus maxillaribus, prope aliquod quæ sequuntur ulcus, locantur i).

f) IDEM p. 598.

g) PONPART *Mem. de l'Acad. des Sc.* 1699. p. 237. &c.

h) ASTRUC T. IV. Lib. 4. chap. 4. p. 133.

i) IDEM *ibid.* p. 134. PETIT T. II. p. 367. & seq.

Si recogites præterea, quam male succederint remedia antiscorbutica in hoc casu a medentibus adhibita, facile apparebit, virus scorbuticum tanquam causam unicam hujus morbi non posse assignari.

Multo expeditius mihi foret, Labi Venereæ huncce singularem morbum tribuere; rem vero vetant plures ejus conditiones, amorque veritatis.

Nota satis est vis, qua virus venereum ossa aggreditur, eorumque gluten destruit *k*). Conspicere infantes miseram parentum infortunii victimam cum quatuor extremitatum ruptis ossibus in lucem prodeuntes *l*).

Quando Lues venerea in sanguinem transit, totam ejus massam paulatim inficit, inque partes corporis remotissimas gradatim repens pervenit, ibique varias excitat turbas secundum varios quam cum humoribus, sequitur affinitatis gradus, variamque partium debilitatem *m*). Si synoviam coinquinet, tuncce articulationes peculiariter afficit, & ægroto Podagræ speciem creat eo infeliciorem, quo remediis hujus morbi specificis pertinacius resistat. Alias videre est Luem Veneream muscutorum mucositati commixtam, eam corrumpere, dolo-

k) HALLER *Elem. Pb.* T. I. Lib. I. ASTRUC T. IV. cap. 3. n. 4.

l) BUFFON. *Hist. Nat.* Tom. IV.

m) ASTRUC T. II. cap. 2. VAN SWIET. T. I. diff. 2.



resque movère cruentos , Rheumatifinum penitus referentes *n*).

Sic effectuum fuorum varietate innumeras mentitur morborum species Lues venerea, & variis quas induit notis peritiffimos sæpe Medicos decipit. Silet etiam aliquando per integrum vitæ decursum, tandemque demum prodit, quando peculiaribus conditionibus refuscitatur *o*).

Huc usque non male conveniunt cum nostra historia symptomata labis venereæ; plures vero reperio conditiones, quæ ad hanc causam confugere non sinunt. Obstat illa, quam Matrona nostra secuta est vitæ norma omni injuriosæ suspitioni, nec unquam fenserat hereditarium morbo venereo analogum. Dolores quos experiebatur, lecti calore, leni transpiratione aucta nequidem augebantur, minuebantur e contra *p*).

Abscissis incunabilis hemicrania morbo in ejus familia hereditario frequenter afficiebantur, a qua tamen fuit liberata vel per febrem tertianam ipsam, quam per duos tulerat annos, vel per ea quæ contra hanc febrem adhibebantur remedia. Anno ætatis suæ quadragesimo septimo variolas benignas habuit, & duobus ante mortem annis catarrho laboravit, qui eam nonnisi aliquot ante ul-

n) ASTRUC T. IV. cap. 3.

o) ASTRUC T. II. cap. 2.

p) ASTRUC T. II. cap. 3.

tinum ejus morbum menses reliquit. Sed utrinam veneno hosce effectus assignare libebit?

Nullus tamen sine causa effectus: unde ergo hujus Matronæ morbus?

Hic morbus sub Rheumatismi forma prius apparuit, omnia Rheumatismi symptomata exhibuit; femur tamen carie exesum subito ruptum est. Quis autem tantam ossis cariem simplici humori rheumatico ortum adscriberet, nonne effectum causa sua majorem evidenter assumeret? Ergo si humor rheumaticus aliquid hic fecit, acrimoniæ cuidam specificæ junctus id fecisse videtur. Primo quidem fixit sese inter os femur ejusque periosteum, periosteum ab osse solvit, femur carie exesit, hæc acrimonia exostofin in clavicula dextra dolorem illum acutum in brachio sinistro causavit, & forte si diutius in illud sævire potuisset, ejus cariem produxisset.

Mirum sane est, quod idem humor cujusdam ossis cariem cum summo dolore producat, dum in alio ejusdem hominis osse exostofin & cariem absque ullo dolore causat; an idem fomes in alio osse exostofin sine dolore, in alio summum dolorem absque exostofi, carie, absque ullo sui vestigio excitare potest.

Adeo sibi contraria fuerunt hujus morbi symptomata, ut attentus ad illa Medicus non nisi incertum & dubium circa ejus causam judicium ferre potuerit; hinc

specificam dixi hanc acrimoniam; dicendum enim non est, siue scorbuticam siue veneream esse, uti evidenter ex ante dictis apparet. An ergo quid rachitici, scrophulosi, cancrofi ad mirum hunc morbum fecit? Sed tenerrimæ tantummodo ætatis, non aduitorum morbus est Rachitis, folis que infantibus in partem *q*) cedit. Cancrofum vero venenum ossa nunquam aggredi visum est, quin exteriores corporis provincias devastaverit *r*).

Eritne forte aliquis, qui virus scrophulofi in nostro casu præsentiam accuset? HIPPOCRATIS ævo jam notum *s*), a Cl. Viro juvenilis habebatur morbus. Nascitur a lymphæ spissitudine, sedetque interius vel exterius in glandularum conglobatarum vicinia; creatur ab omni causa, quæ lympham cogere & spiffescere valeat, variasque producit malorum catervas, secundum varias quas occupat partes. Labis venereæ aliquando filius est; sæpe in cancrum degenerare est visum. Ideo quoque infantes, qui parentibus Lue venerea contaminatis orti sunt, vel commercium aliquod cum hominibus hocce malo affectis habuerunt, vulgo ulceribus scrophulosis appetuntur. Producit præterea scrophulosa Lues tumo-

q) ASTRUC T. IV.

r) IDEM. PETIT. T. II.

s) HIPPOCR. Sect. III. Aphor. 26.

res modo frigidos & inertes, mox inflammatorios, quos inveteratos difficilius curaveris. Oriuntur denique ex illa ossium caries & exostoses, quæ parum satis sensibiles sunt visæ t). His serio perpenfis apparebit evidenter, virus scrophulosum tanquam nostri morbi causam considerari non posse.

Præterea Matrona nostra, ad annum suæ ætatis sexagesimum quintum sana erat, a sanis nata parentibus. Ergo noster morbus neque a cancro, neque a virus scrophuloso, neque ab ulla huc usque cognita acrimonia deduci potest. De hujus ergo acrimoniæ natura judicent illi, quorum sanam theoriam longa illustravit Experientia.

T A N T U M.



t) ASTRUC T. IV. cap. 4.

T H E S E S.

I. Sensuum nostrorum ope ad corporum pervenimus cognitionem; cum vero & quantitatis & actionis respectu terminis pangantur tam constrictis, verisimillimum est a pluribus non tangi corporibus, quæ nos in æternum latebant.

II. Multo majorem lucem, ad rerum Naturam agnoscendam affundit causarum secundariarum, quam quidem primariarum indagatio.

III. Magis retardavit, quam quidem promovit scientiarum progressus, magnorum Virorum ingenium.

IV. Experientia sola, constantique Naturæ observatione, adhuc quem nunc habent, perfectionis gradum, pervenerunt scientiæ.

V. Periculosum est in Medicinam systema recipere, quod Experientia non uberius confirmaverit. Rejicienda est ergo Spirituum animalium & quæ ab his pendet operationum intellectualium elegans Theoria.

VI. Non possibile est Animalium vivorum incisione
cujuscunque eorum partis sensibilitatis gradum determi-
nare.

VII. Certum est nervos vasorum sanguiferorum
compositionem ingredi; omnes igitur Corporis partes,
quæ vasa sanguifera recipiunt, gradum aliquem sensibi-
lilitatis habent. Jure ergo concludimus, paucas dari in
Corpore nostro partes insensibiles.

VIII. Non semper sibi similes est nervorum actio,
restantur enim variis momentis, & ad varium stimulum
varium sensibilitatis gradum. Penitus silet eadem aliquan-
do, ascenditque alias ad altissimum intensitatis punctum.

IX. Inter omnes quibus affici potest morbos, Cor-
pus humanum, observatur nexus tam evidens, ut nullus
sit ex iis, qui aliorum respectu non causa sit vel effectus.

X. Difficile sæpe est ex symptomatibus perspectis
pronunciare quisnam morbus adsit.

XI. Vario modo, secundum vias diversas, quibus
in sanguinem penetrant, à substantiis afficimur.

XII. In plantis, quæ venenatæ habentur, quæren-
da sunt præsertim auxilia ad morbos, qui cognitæ re-
mediis resistunt.

XIII. Non unice adstringendo agunt Saturni Præparata.

XIV. Integerrimis aliis corporis partibus possunt ossa affici atque corrumpi.

XV. Non debent in Chirurgia retardari operationes necessariæ.

XVI. Causa fluiditatis universalior ignis videtur esse elementaris.

XVII. Aërem Corporum mixtionem non ingredi evidens non est.







Strasbourg, Med. Diss., 18

ULB Halle
008 564 809

3



WIP





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS CASUM
DE
CARIE OSSIUM

14

EPICR

SUB
GRATIOSÆ

PRO
SUMMOS IN
ET PRI

SOLENNI EP
DAVID

D. X

Ex Officina JOH

